







MUSEUM  
CARLSONIANUM.





MUSEUM  
CARLSONIANUM,

In quo

*Novas et Selectas Aves,*

*Coloribus ad vivum brevique descriptione illustratas,*

*Suasu et sumtibus Generosissimi Possessoris,*

Exhibet

ANDREAS SPARRMAN,

M. D. & Profess. Reg. Acad. Scient. Stockholmens. Musei Praefect. Ejusd. Acad. ut et  
Societ. Physiograph. Lund. Scient. ac Litt. Gothoburg. Hess. Homburg. Membr.



FASCICULUS I.



H O L M I Æ,

Ex Typographia Regia, MDCCLXXXVI.



## Benevole Lector.

**M**useum, quod heic oculis tuis sistimus, sibi suisque Musis instruxit Vir Generosissimus D:nus GUSTAVUS CARLSON, Secretarius Status, Regii ordinis de Stella Polari Eques Auratus, in Praedio Maelbyensi, amoenissime propter oram lacus Sillen in Sudermannia sito. Continet illud non tantum instructissimam ditissimamque Avium variarum supellectilem, sed quae multis insuper novis et, quod sciam, haecenus incognitis, certe antea non depictis speciebus abunde superbit.

Hoc vero quum publici juris facere in animum induxit idem Vir Illustrissimus, rei ornitologicae optimus Maecenas, quo plurium usui inservirent quae nova et in hoc genere maximam partem rara, unius tantum studio voluptatique sacra, privatis parietibus septa fuerunt, mihi, pro eo, quo me dignatus est favore, edendi negotium benigne injunxit, addita insuper lege, ut omnium specierum descriptiones modo Linneano adornandas curarem.

Ad Imagines quod attinet, quo maxime ad naturam accederent, hoc in negotio suam benigne accomodavit operam Nobilissimus D:nus J. Carolus Linnerhielm, Secretarius Regius, Apellidis in arte versatissimus, qui eas pro suo more i. e. dexterrime duxit. Has vero, quod in aere tam scite exsequi novit Scalpendi Magister, ut Typum quam proxime exprimant, id non minus sumptibus Maecenatis Nostri large impensis, quam diligenti omnium ac singulorum exemplarium examini tribuendum judicamus.

Fasciculum hunc, auspicio Illustrissimi Viri, Secundus itidem XXV avium huc usque profus incognitarum mox sequetur, quem, prout tempus et materia suppetit, plures deinde excipient.


Ceterum observet benignus Lector, ubi avium magnitudinem per angustiam suam Tabulae haud capere potuerunt, lineam seu scalam, quae bis senam totius nativae longitudinis partem continet, unicuique Imagini Buffoniano more subjunctam esse.

---

## Elenchus Avium Fasciculi I.

- N:o I. *LANIUS pomeranus.* XIV. *RALLUS australis.*  
II. *CORVUS Clericus.* XV. *TETRAO hybridus.*  
III. *CUCULUS ferratus.* XVI. ——— *canus.*  
IV. *SITTA caffra.* XVII. *LOXIA Flamengo.*  
V. *CERTHIA melanura.* XVIII. ——— *totta.*  
VI. *ANAS mollissima, variet.* XIX. *TANAGRA fiberica.*  
VII. — *dispar, Mas.* XX. *FRINGILLA candida.*  
VIII. — ——— *Femina.* XXI. *EMBERIZA maelbyensis.*  
IX. *COLYMBUS Parotis.* XXII. *MUSCICAPA ochracea.*  
X. *PELICANUS punctatus.* XXIII. ——— *nigra.*  
XI. *STERNA alba.* XXIV. ——— *albifrons.*  
XII. *FULICA leucoryx.* XXV. *PARUS faebyensis.*  
XIII. ——— *Aethiops.*
-





*Lanius pomeranus.*





N:o I.

*LANIUS pomeranus*: supra niger, subtus albus, Occipite Dorsoque Colli saturate ferrugineis, nigro circumdatis, Alarum maculis utrinque duabus uropygioque albis.

Habitat in Pomerania.

Rostrum atrum, Pedes nigri.

Colli pars anterior, Pectus, Abdomen, Crissum,

Tectrices alarum inferiores albicant.

Occiput Dorsumque colli ferruginea.

Frons, Vertex, Latera Capitis et Colli nec non Inter-  
scapulum atra.

Alæ nigræ, Tectricum Superiorum et Inferiorum mediis albis;  
hinc macula alarum transversalis alba major.

Remiges octo primariæ nigræ, versus basin albæ; hinc  
macula alarum transversalis alba minor.


Caudæ complicatæ pagina superior nigra marginibus  
albis, pagina inferior alba maculaque magna  
nigra versus basin longe acuminata, versus apicem  
late bicorni ac linea utrinque nigra notata.

Rectrices 12: Harum Duæ Inferiores et extimæ albæ,  
sed Disco ac Rachide apicem versus nigræ.  
His 2 s. 3 Proximæ, apicibus suis nec non a basi  
ad Mediam fere partem albicant.

DSI



*Corvus Clericus*



N:o II.

*CORVUS Clericus*: Totus niger mento albo,  
Rostro ad basin cinereo.

Magnitudine circiter *Corvi Coracis* et ab hoc, macula s.  
plumofitate pollicari alba, regionem submandi-  
bularem et initium gulæ occupante præcipue  
differt.

Color *Pedum* et *Pennarum narium recumbentium* niger.

—— *Capitis, Colli, ac Interſcapulii* nigro nitens.

—— *Remigum ac Rectricum partis superioris* nigro  
violaceoque nitens.

—— *Uropygii caudaeque paginae inferioris nec non  
reliquarum corporis partium* nigro fuliginofus.

Obs. Rariffima in Svecia Avis.





*Cuculus ferratus*.





N:o III.

*CUCULUS ferratus: niger, speculo alarum  
albo.*

Habitat ad Promontorium Bonae Spei.

*Rostrum* nigrum, compressum, mandibula superiore paulo longiore, andunca.

*Caput Cauda et Totum fere Corpus* nitide ex virescente cerulescenteque nigra.


*Remigum primariarum* Decem fuliginosae, a basi ad medium albae, harum tamen prima et decima margine interiore tantum sunt alba.

*Albedo Haec Remigum, Tectricibus alarum* nigris semioccultata, maculam s. speculum in alis superne et subtus album ferratumque format.

*Pedes scanforii*, nigri.

*Cauda Corpore* paulo longior.





*Sitta caffra.*



N:o IV.

*SITTA caffra* : corpore subtus flavo, superne flavo nigroque vario, pedibus nigris.

*Rostrum* rectiusculum, subdepressum, mandibulis truncatis, superiore convexiuscula, subtriquetra pauloque longiore.


Laete Lutea sunt, *Capitis Latera*, *Collum*, *Pectus*, *Abdomen*, *Criſsum*, *Femora*, *Apices Tectricum*, *Apices marginesque Remigum*.

Fusco luteoque sunt varia, *Frons*, *Capilitium* ac *Dorsum*.

*Rectrices* Decem, superne nigricantes subtus olivaceae, apice flavicantes; harum *Duae superiores et Mediae* reliquis sunt longiores.

*Pedes* ambulatorii nigri, *unguibus* luteis.





*Certhia melanura*





N:o V.

*CERTHIA melanura*: Capite Dorsoque  
violaceis, Pectore abdomineque virescentibus, alis  
fuscis, Cauda nigra sub-bifida, Tibiis Digitisque  
atris.

Habitat ad Promontorium Bonae Spei.


*Rostrum* nigrum.

*Tectrices* alarum fuscae marginibus olivaceis.

*Remiges* Aliquot margine exteriori virent.

*Ungues* pallide flavi.





*Anas mollissima*  
*Mas biennis. Svecis Hellsinge.*



N:o VI.

*ANAS mollissima*, Mas varietasque biennis,  
Svecis Helfinge: cera nigra postice bifida  
rugosa.

Caput, et Collum postice ex fusco, nigro brunneoque varia.

Linea fordide alba utrinque per oculum ad nucham  
ducta.

Tempora intensius fusca.

Gula Collique pars superior anterior fordide albescentes.

Pectus Collique pars inferior alba.

Teſtrices alarum albae, plumis aliquot fuscis inter-  
flinctae.

Dorsum et Remiges fuscae.


Hypochondria, Teſtrices caudae Crisumque atra.

Reſtrices quaedam albae.

Abdomen ex brunneo nigro alboque undato-nebulosum.

Pedes nigrae.





*Anas dispar.*  
*Mas.*





N:o VII.

*ANAS dispar*, Mas: *crista occipitali abbreviata smaragdina; remigibus aliquot secundariis caeruleis, antrorsum falcatis, apicibus albis.*

*Rostrum, Palpebrae earumque proxima Regio, Mentum ac Jugulum usque ad collare, Dorsum, Macula Hypochondriacalis semipollicaris ad Alarum flexuram, Abdomen, Femora, Pedes, Crissumque nigra.*

*Frons prasina, dilutius in medio, lateribus autem faturatius.*

*Nuchae Crista s. Macula elevatior, transversim oblonga, faturate smaragdina, dextro sinistroque margine nigro-cyanea.*

*Colli tertia circiter pars inferior cincta collare quod ex cyaneo, paulumque virescenti anatino fulget, et quod ex plumularum aliquot apicibus pallidis anteriùs interstinctum evadit.*

— *Capitisque reliquae partes holosericeo-niveae.*


*Pectus et Hypochondria ex ferrugineo miniatoque rubicunda.*

*Remiges Secundariae Anteriores Exteriores faturate saphirinae, antrorsum falcatae, apicibus albis, Remiges primarias oblique decussantes, parte basis Tectricibus albis coopertae, hinc Speculum alarum saphirinum obliquum.*

— *Secundariae aliquot corpori finitimae longiusculae, erectae, dorso incumbentes, saphirinae, latere autem interiore tenuiore albo, hinc Taeniae dorsales longitudinales, albae acutae dum alae complicantur.*

*Cauda brevis, supra nigra, subtus plumbea.*





*Anas dispar.*  
*Femina.*



N:o VIII.

*ANAS dispar, Femina: ferruginea, fusca nigroque undulata, alarum maculis duabus parvis albis.*

*Corpus totum fere ferrugineo fuscoque scolopacinum.*

*Remiges omnes rectae, nigricantes.*


— *Secundariae aliquot apicibus albis, hinc macula alaris posterior minor alba.*


*Tectrices superiores quaedam apicibus albis, hinc macula alaris anterior major alba.*

— *Aliquot subalares albae.*

*Pedes nigrae.*

Obs. Haec ac antecedens in Ostrogothico quodam flumine peregrinantes nuper detectae sclopetique simul icu interceptae sunt.





*Colymbus Parotis.*





N:o IX.

*COLYMBUS Parotis* : capite laevi nigro,  
gulae, aurium ac subocularium regionibus albidis  
nigro — lineatis.

*Capilitium* nigrum.

*Regiones sub-oculares, Gularis Parotideaeque* albae, *Lineo-*  
*lis tribus vel quatuor* sub-parallelis nigris, antero-  
ribus interruptis.

*Colli Dorsum* nigrum.

*Colli Latera* una cum *Jugulo* ferruginea.

*Pectus* ac *Abdomen* immaculata albo nitentia.


*Alarum Macula* bipolliaris alba ex *Rectricum* secun-  
darium apicibus albis.

*Dorsum* nigrum.

*Hypochondria, Femora, Crissum,* fuliginosa.

*Pedes* lobati.





*Pelicanus punctatus.*



N:o X.

*PELICANUS punctatus*: capite cristato, Alis cinereis nigro punctatis.

Gula Jugulique pars superior, Capilitium, Dorsum Colli, Ipsum Dorsum et Uropygium viridi violaceo nigroque - nitentia.

Tempora, Capitis Collique Latera alba.

Pectus et Abdomen canescentia.

Alae cinereae Tectricum apicibus viridi - nigris.

Striae brevissimae albae in Uropygio, Criffo, Dorso Dorsoque Colli.

OBS. Habitat in Nova Zelandia ad Fretum Reginae Charlottae, nidificans in arboribus.





*Sterna alba.*





N:o XI.

*STERNA alba* : Corpore toto albo, Roſtro  
*pedibusque nigris.*


Habitat in India Orientali, ad Promontorium Bonae  
Spei Infulasque Maris pacifici.

Magnitudine et Statura *Sternae nigrae.*





*Fulica Leucoryx.*



N:o XII.

*FULICA leucoryx*: nigra, Alis albis.


Magnitudine et statura *F. atrae*.

*Palpebrae* pallidae.

*Alarum Tectrices* et *Remiges* omnes candidae, *Rachidibus Remigum primariarum* nigricantibus.

Obs. Ante aliquot annos hanc Fulicam ad Theriotrophium Holmiense telo confixit eaque Museum Carlsonianum ditavit Inspector Venatorii Cohortisque equestris Centurio Nobilissimus Dom. Rudbeck.





*Fulica Aethiops.*





N:o XIII.


*FULICA Aetiops: tota nigra.*

*Rostrum* in regione narium mandibulae superioris et apice mandibulae inferioris magis nigricans.

*Pectus* et *abdomen* ex plumarum apicibus cinereo-ferrugineis sub-fusco undulata.

Obs. Magnitudine et habitu *F. atrae*, sed ab hac praecipue differt alarum plumis omnibus nigris, Pectore abdomineque ferrugineo fuscoque undulatis.





*Rallus australis.*



N:o XIV.

*RALLUS australis* : cinereo ferrugineus ,  
alis caudaque saturate brunneis , pennis nigro  
fasciatis.


Habitat in Nova Zelandia , ad cujus littora meridionalia ,  
refluente mare praedantem saepius vidi.


Magnitudine circiter Gallinae vulgaris.

*Rostrum* et *Pedes* flavicant.

*Corpus Supra* ferrugineo fuscum , *Subtus* cinereo - ferrugineum.

*Remiges Rectricesque* ferrugineo rufescentes , fasciis plurimis  
nigris sub - undulatae.





*Tetrao hybridus.*





N:o XV.

*TETRAO hybridus* : cauda bifurca ,  
*subtus albo-maculata.*

OBS. Suecis Rackelhane. (*Gallus Screator*).

Confr. Act. Reg. Acad. Scient. Suec. A:o 1744. Vol. V. p. 181.

Faun. Suec. N:o 201. p. 73.

J. Th. Kleinii Stemmata avium pag. 25.

Magnitudo Feminae majoris T. urogalli.

Originem ex T. Tetrice Patre ac T. urogallo Matre  
trahere creditur.

Colore , varie variat in variis.

Habitu , majoris Stupiditatis Speciem quam parentes  
praebet.

Voce , Urogalli cantum aliquo modo imitare vi-  
detur , sed hujus multo fortiore , fcreante ac  
ructitante.

Sexum non nisi masculinum , tam in Tetraonum ,  
quam Urogallorum sodalitia prodere visus est.

Occurrit passim in Sueciae et Finlandiae Sylvis.





*Tetrao canus.*



N:o XVI.

*TETRAO canus*: corpore cano, fusco  
undulato, rostro pedibusque nigris.


*Plumae totius fere corporis canae, apicibus fuscis.*

*Tectrices Alarum fuscae, extimo apice macula albida  
notatae.*

*Crissum candidum.*

*Cauda Complicata in pagina superiore ex albo, fusco  
canoque nebulosa, in pagina inferiore, lateribus  
fusca, in medio autem ex crisso elongato, quasi  
macula triangulari candida notatur.*

Obs. E- Helfingia hanc Speciem benevole communicavit olim  
generosissimus Comes et Chiliarcha Stenbock, ubi in qua-  
dam Paroecia frequentissime occurrere, minime autem  
T. Bonasiae varietatem esse monuit.





*Loxia Flamenco.*





N:o XVII.

*LOXIA Flamengo: alba, capite, collo, pectore abdomineque roseis.*

*Rostrum* rubicundum, ferie plumularum apice nigricantium circumdatum.

*Nares* patulae, fetis fanguineis tectae.

*Frons* et *Regiones oculorum* albae.

*Capilitium* reliquum laete roseum.

*Capitis Collique Regiones laterales* saturate roseae.

*Collum anterius, Pectus* et *abdomen* dilute rosea.

*Remigum* tertia et quarta nigra.

*Alarum linea transversalis* ex *Tectricum* apicibus nigricantibus fuliginosa.

*Uropygii* macula nigra.


*Caudae Pagina Superior* dilute fuliginosa.

*Pedes* fanguinei.

*Reliquum Corporis* ut *Dorsum, Femora, Caudae Pagina Inferior*, ac *Reliquum alarum* et *Crisi* alba.

OBS. Magnitudine et Statura *L. Pyrrhulae*; sed an ejusdem fit varietas non facile dicam; *Upfalicae* enim capta per annum bene valens colorem retinuit.





*Loxia totta*.



N:o XVIII.

*LOXIA totta: remigibus reëtricibusque omnibus nigris summo apice albis.*

*Gula, Jugulum, Pectus, Abdomen, sub-aurantia.*

*Frons fusco-virefcens.*

*Capitulum reliquum, Colli Dorsum, Interfcapulum, Teëtrices alarum Superiores testaceo-fufca.*

*Remiges Primariæ fex.*

— *Secundariæ circiter octo.*

— *Omnes atræ fummis apicibus albis.*

*Cauda fupra nigra, fubtus fuliginofa, Reëtricibus decem omnibus apice albis.*

*Tibiae flavicantes.*

*Pedes nigri.*

Obs. Hanc Speciem inter Stationes Hottentottorum detexi.





*Tanagra siberica.*





N:o XIX.

*TANAGRA siberica*: atra, apicibus  
plumarum interscapulii uropygiique candide et  
discrete ciliatis.

Magnitudine Turdi Iliaci.

*Rostrum* capite fere dupplo brevius, conico-gibbum,  
rectum, vix acuminatum, pallidum, apice fusco,  
subdiaphano.

*Nares* ad infimam basin rostri plumositate crebra  
reversa tectae.

*Pedes* ambulatorii nigri, *Unguibus*, nigris, *U. postico*  
reliquis fere dupplo longiore, rectiusculo.

*Cauda* apice emarginata, *Rectricibus* XII, exterioribus  
sensim longioribus.

**Obs.** Variat, *Capite*, *Humeris*, *Hypochondriis*, *Tectricibus* alarum  
*Rectricibusque* ut *Interscapulium* ac *Uropygium* candide ciliatis.

**Habitat** Siberiae: unde communicavit Celeberrimus LAXMAN.





*Fringilla candida.*



N:o XX.

*FRINGILLA candida* : plumis ac  
pennis omnibus, rostro, pedibus digitisque albis.

*Alae complicatae* vix caudae medium attingunt.

*Cauda* cuneata rectricibus XII.

Obs. Magnitudine Fringillae domesticae, cujus forsan est varietas, rostrum tamen pro ratione corporis paulo validiore.





*Emberiza mælbyensis*.





N:o XXI.

*EMBERIZA maelbyensis*: Capite col-  
loque plumbeo - cinereis, gula albida, abdomine  
ferrugineo.

Rostrum, Pedes Unguesque pallide rufescentes.

Palpebrae, macula parva utrinque inter nares et oculos,  
Mentum, Gula superius et ad colli latera, Crissum  
Caudaeque pagina inferior albicant.

Frons, Capillitium, Colli pars inferior anterior, Pectorisque  
pars superior plumbeo - cinereae.

Pectoris pars inferior, Abdomen, Femora, ferruginea.

Inter scapulum, Dorsum, Crissumque ferruginea nigroque  
maculata, maculis acutis ut in *Emberiza miliaria*.

Tectrices Alarum Superiores nigrae, margine extimo  
ferrugineae.

—— — Inferiores sulphureae.

Remiges nigricantes marginibus sub-ferrugineis.

Rectrices Decem, harum sex superiores nigrae, qua-  
tuor inferiores, ab apice ad medietatem albae,  
marginibus exterioribus nigris.

OBS. In Praedio suo Maelby hanc speciem detexit Illustrissimus  
noster v. CARLSON.





*Muscicapa ochracea*



N:o XXII.

*MUSCICAPA ochracea*: collo et pectore  
cinereo-ferrugineis, alis et cauda nigro-cinereis.

Habitat ad Promontorium Bonae Spei.

*Caput Dorsumque* fusco-brunnea.

*Collum Pectusque* cinereo-ferruginea, plumis crebris  
ciliatis acute lanceolatis.

*Aurium Regiones*, plumarum longiarum ciliatarum fasci-  
culo notatae.

*Abdomen* ochraceo ferrugineum.


*Remiges, Tectrices alarum et Rectrices apice et latere*  
*interiore* nigræ, *exteriore* albae.

*Pedes* nigri.

*Ungues* flavae.

*Cauda* longitudine corporis.





*Muscicapa nigra*





N:o XXIII.

*MUSCICAPA nigra* : corpore toto nigro, rostro, capite, interscapulio pedibusque atris.

Habitat in Insulis Societatis Oceani Pacifici.





*Muscivora albifrons.*



N:o XXIV.

*MUSCICAPA albifrons*: supra nigro-fusca, jugulo ac pectore sordide albis, abdomine dilute ferrugineo, fronte albida, pedibus nigris.

Habitat ad Promontorium Bonae Spei.

*Rostrum* nigrum.

*Occiput*, *Dorsum colli*, *Interscapulum*, *Alarum Tectrices Superiores Rectricesque* e fuliginoso - nigricant.

*Remiges Primariae* fuscae, margine exteriore ferrugineae.

— *Secundariae Rectricesque* fuliginoso - nigricantes.

*Jugulum* ac *Pectus* albida, *Rachidibus plumarum* fuscis.

*Abdomen* laete ferrugineum.

*Pedes* fuscae.





*Larus sœbyensis.*





N:o XXV.

*PARUS saebyensis*: corpore caudaque sub-  
tus, capilitio, interscapulio, fascia transversali  
alari remigumque aliquot albis; cauda superne,  
macula transversali nuchae; teetricum remigum-  
que nonnullis caeruleis.

*Teetrices supra-alares-Superiores* caeruleae.

—— *supra-alares-Inferiores* albae, maculam transver-  
sale alarem albam constituentes.

*Remiges* 1 - - 5 fuscae, margine exteriori albae, ad  
basin caeruleae.

—— 6 - - 13 concolores, apicibus albis.


—— *Reliquae* margine exteriori caeruleae, interiore  
apicibusque albae.

*Cauda* caerulea, subtus alba, *Reettricibus* quatuor *superio-  
ribus* cyaneis, apice albis, *rachidibus* nigris.

*Pedes* *Rostrumque* fusco-flavicant.

*Linea Nigra* utrinque a rostro per oculum ducta.


OBS. Ad Praedium Carlsonianum Saebý in Sudermannia, haec  
Species detecta est.

















SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



3 9088 01203 8931